

Prooemium ad Lectorem.

britate, in oculis omnium quondam vixerat, fuit bis opera sceleratorum, quibus omnia redundabant, in focam leonum crudeliter coniectus. Sed tam admirabili religione, & eximia sanctitate cursum vita conficiebat, ut crudeles illae bestiae eum tangere non auderent: sed illis liberatus incolumis evasit. Volens Deus tres summos viros in exemplum proponere, quorum vita quasi lumen quoddam splendidissimum eluxisset, apud Ezechiellem capite decimoquarto Danielem nominavit, & Noe, & Iob. Et Christus Deus noster eiusdem Danielis vaticinationem de abominatione de solationis in Evangelio citavit. Aspicis huius divini vatis praestantiam divinis testimoniis, clarissimisq; monumentis testatam: Quare nemo debet velle eius dignitatem labefactare, quin potius veritati obedire. Quemadmodum enim necesse est lancem in libra pondere impostis deprimis, sic animum perspicue, atque preponderanti cedere veritati. Excessit e vita Daniel in Babylonica regione, ubi honorifice sepultus est, cuius diu extitit monumentum omnibus notissimum. Omnia haec sunt deprompta ex eiusdem libro, & ex Epiphania in eius vita, ac praeter loca supra citata ex Hieronymo, & Theodoro in Commentariis in eundem prophetam, ex Origene in caput trigesimum primum Numerorum, ex Augustino libro secundo de mirabilibus sacrae scripturae, ex Gregorio libro primo Moralium, ex Chrysostomo homilia tertia de incomprehensibili Dei natura, ex Iosepho libro decimo Antiquitatum. Sed de divini vatis vita, & interitu, & scriptis haec tenus. Meum vero institutum in eo explicando est, sensum in primis historicum & literalem exponere, & apertum orationis argumentum elucidare, ut possit lector veram sententiam, & prophetae mentem intelligere, atque in purissimo fonte imaginem veritatis intueri. Sed aliquando dogmata ecclesiae contra hereticos ex eadem litera, alijsq; divinarum literarum locis deprompta ostendo: & conceptus quos ipse sensus literalis parit, dilato, & divinis humanisq; scriptis amplifico, ad multa loca explicatu difficilia enarranda, & ad animos a vitijs abducendos, atque ad verum decus excitandos. Sequor versionem communem ab ecclesia catholica approbatam: quae nitore veritatis, gravitate, autoritate & magnificentia est omnibus alijs illustrior & praestantior, quamquam verborum elegantiam haudquaquam affectet. Ut enim in nummo non spectatur pulchritudo imaginis, sed pondus ac materia: sic ad veritatem intelligendam non magni refert, quam elegans sit oratio,

Ezech. 14
 Mat. 24
 Mar. 13
 Luc. 21.

Similicudo.

Epiph.
 Hieron.
 Theod.
 Origen.
 Gregor.
 Chryso.
 Ioseph.

Similicudo.